

inter *antiquos* Prodicus, Theodorus Cyreneus, Critias, Diagoras, Protagoras &c. inter *recentiores* Petrus Aretinus, Pet. Pompanatius, Angel. Politianus, Jul. Cæs. Vaninus, Stephan. Dolet, Godofredus de la Valle, Matthias *Knußen*, Joh. Tolandus, &c. atheis annumerentur; Vid. *Jenk. Thomasi* Histor. atheismi.

§. 4. Enim vero, si quis ineptias vulgi eorumque superstitiones aut contemserit aut minus forte æstimaverit, inclementer statim in atheorum turbam distento gutture & indicta causa depellitur. Neque equidem quicquam sapiens usu venit, quam ut, qui superstitionem tollere moliantur, ab iis, qui turpissime se eidem manciparunt, atheismi convicio & ignominia notentur.

§. 5. Quorundam tamen, quod lubenter confiteor, impia ambitio eo pervenit, ut subtilitatis suæ probandæ causa thesin hanc: *Deum dari*, impugnare conati sint, in animo contrarium statuere convicti; ad quam classem nonnulli ex modo dictis antiquis & recentioribus scriptoribus jure meritoque referuntur.

§. 6. Theologis vero inquirendum relinquo, an Deus ejusmodi impium hominem, qui optat suppressere in se Dei notitiam, & variis undique collectis argumentis audet rationes, quibus Dei existentia invicte probatur, infringere, & quasi suam malitiam stabilire, *anne*, inquam, *Deus ejusmodi pessimum hominem derelinquat*, ut tandem, quid velit, credat, sitque *athens per pænam talis*.

B 3

§. 7.